

526

agoscit causam, neque solum à Melancholico, sed & quandoque pituitoso aus sanguineo humore, uti supra dictum, ortum habet. Sic & *Apoplexia* fit ab humore, non verò solo vapore, major etiam & vehementior in hac obstructio & motus ac sensuum abolitio. Denique *Epilepsia* est cum convulsione à materiâ acri & stimulantē, & ferè vigilantibus accidit: Incubus est à vapore crasso obstruente, absque convulsionibus, & non nisi dormientibus, obtingit.

XV. *Signa prognostica* sumuntur vel ab ipsâ essentiâ Incubi, vel ab ejus causis. Ab essentiâ sumpta signa prognostica sunt: 1. Levis est affectus ratione paroxysmorum, præsertim si rariores fuerint, hinc *Heurnius* dicit: Incubus solubile est malum ratione paroxysmorum, tamen non semper sine periculo incumbit. 2. Levior est qui fit per sympathiam, quam qui per essentiam 3. Minus periculosus est cujus paroxysmi sunt rariores nam si sunt frequentes, & Incubus est inveteratus, magna portendit mala, utpote *Epilepsiam*, *Apoplexiam*, *maniam* & alios hujusmodi graves affectus. Citò igitur, & ab initio huic succurrendum malo, secundum monitum *Aeginetae*.

XVI. A causis desumpta signa prognostica sunt: 1. Parvus est Incubus qui sequitur crapulam & alias causas externas. 2. Si ex succis pituosis aut vaporibus frigore in crassatis fit incubus, in *Epilepsiam*, *Apoplexiam* repentinam aut *Paralysin* facilè convertitur, Si ex *Melancholicis*. in *Melancholiam* vel *Maniam* degenerare potest; Quandoque & in celèrem cordis suffocationem mutatur, teste *Foresto*. Omnia autem hæc sunt intelligenda, de illis, qui sunt ætatis provecioris, & dum malum non per consensum, sicuti ut plurimum contingit, sed per essentiam in capite originem ducit. Eu-

10. obs. 50